



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Liutprandi Ticinensis Diaconi Opusculum, De Vitis  
Romanorum Pontificum**

**Liutprandus <Cremonensis>**

**Moguntiae, 1602**

LXI. Vigilivs.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11115**



timorem, vt qui eius ordinationi non consensisset, sine dubio gladio puniretur. Itaq; Siluerio sub vi & metu iam ordinato tandem subscripserunt in eius confirmationem secundum morem presbyteri. Post menses autem duos prædictus tyrannus nutu diuino extinguitur. Dolens autem eo in tempore Theodora Augusta Anthimum patriarcham à B. Agapito fuisse depositum, & in eius locum Mennam subrogatum, consilio cum Vigilio diacono inito Siluerium litteris obsecrauit, vt vel ad se festinanter veniret aut Patriarcham Anthimum in locum reuocaret pristinum. Qui dum lectis litteris, quamuis vitæ finem per huius causæ occasionem timeret, tamen fiduciam habens in Domino rescripsit Augustæ, nunquam se reuocaturum hominem hæreticum in sua nequitia damnatum iustè. Vnde indignata Augusta Bellisario patritio iussit, vt Siluerium occasione quacumq; inuenta deponeret, & Vigilium Archidiaconum, qui Anthemiū reuocare promiserat, in eius loco substitueret. Qui (hac eadem occasione inuenta, vt Romanā Urbem Gothis tradere vellet) cum ad se vocatum, & clero & populo ad primum & secundum velum retentis, stolam & albam fecit ei auferri, & veste monachica indui iussit. Et hoc negotio impietatis audito, hi, qui cum eo venerant, fugerunt: & Vigilius Archidiaconus, quasi in sua fide eum suscipiens, Pontum exilio relegauit, vbi pane tribulationis, & aqua angustiae sustentatus tandem deficiens in eodem loco 12. Kalen. Iulii confessor defunctus est, vbi ægri multi sanantur.

Hic epistolam rescripsit Amatori Episcopo, in qua & hoc postulanti, qualiter circa se actum fuerat, breuiter enarrauit, & officium suum non ideò dimisisse, sed congregatis Episcopis, quos potuit, illos, qui ipsum deposuerant, se anathematis vinculo obligasse significat, & cæteros, qui deinceps vllum Episcoporum ita deciperent, anathema maranatha fieri dixit.

23. q. 4. c. Bellisarius.

25. q. 2. c. sic de set.

ITEM Vigilio iam Papæ constituto epistolam in suam damnationem misit, ita inter cætera dicens. *Habeto ergo cum his, qui tibi consentiunt pœna damnationis sententiam, sublatumq; tibi nomen & munus ministerii sacerdotalis agnosce, Spiritus sancti iudicio, & Apostolica à nobis auctoritate damnatus. Sic enim decet fidem Sanctorum in Patrum in Ecclesia seruari Catholica, vt, quod habuit, amittat, qui improbabiliter temeritate, quod non acceperat, assumpserit.*

LXI.

#### VIGILIVS.

A. D. XL.

VIGILIVS, natione Romanus, ex patre Ioanne, consule, sedit annos 17. menses 6. dies 25. Hic ordinauit Episcopos 81. presbyteros 46. diaconos 16. Eo autem tempore, quo Theodora Augusta Vigilium in sede Apostolica, sicut ipsa iusserat, constitutum fuisse



fuisse accepit, ei scripsit, rogans, vt ipse ad se veniret, & quod bona volūtate de Anthimo promiserat, adimpleret. Vigilus .a. quamuis prius insipienter promiserat, respondit se nunquam ei consentire, vt hominem hæreticum, & à sanctissimis Agapito & Siluerio dānatum reuocaret. Eo tempore Romani dolentes, quod Siluerius consilio Vigilii depositus fuerat, videntes modo oportunitatem, duos interemisse eum apud Augustā accusauerunt. Quo audito Augusta Romam Scribonem misit, qui Vigilium cepit, & in naui positū Constantinopolim duxit. Qui tamen ab Imperatore, vt Vicarius B. Petri primò honorificè susceptus est, & biēnio iā exacto Augustus & Augusta cautionem manus suæ ei ostendentes de Anthimo reuocando, obsecrando & altercando institerunt. Vigilus .a. constans ad omnia pati, nullatenus eorum petitioni acquieuit, & tandem colaphizatus, quia non Iustinianum & Theodoram piissimos, sed Diocletianum & \*Lutheriam se inuenisse dixerat, respondit ad \* Eleutheriā.

singula. facite vt vultis, digna enim factis recipio. Et volens huius ærumnæ euentum quoquo modo vitare, in Ecclesiam S. Euphemie fugiens altaris columnam amplexu astrinxit, sed ibi arreptus extra Ecclesiam ducitur, funeque collo eius alligato per ciuitatem vsq; ad vesperam circumquaq; distrahitur, deinde in custodia reseruatur. Clerici verò, qui cum eo aduenerant, dispersi in exilia relegantur: sed postea Romano Clero & Senatu rogatib. redditus & restitutus est Vigilus. Sed in ipso reditu, in Syracusa videlicet vrbe calculi dolore vitam finiuit.

Hic \* EUCHERIO episcopo rescriptum direxit, in quo eum \* Eutherio. instruxit, quid de his tenere debeat, qui ita abstinentiam simulāt, vt esu carnum quemlibet pollui credant: ita post multa præmissa subiungens. *Quapropter nec abstinentiam DEO placitam reprobamus, nec eos, qui execratur Domini creaturam in nostra societate recipimus.* ITEM de his, qui in fine psalmor. subducta vna 9iunctiua syllaba dicunt. Gloria patri, filio, & Sprui S. & ita dicendo pfectæ Trinitatis vocabulū minuere conantur, subiungit dicens. *Quod si in errore permanserint, socii nobis esse non possunt.* DE his qui ab Arrianis rebaptizati sunt, qualiter sint recipiendi, dicit. *Quorum reconciliatio, non per illam impositionem manus, quæ per sancti Spiritus inuocationē fit, operatur, sed per illam, qua pœnitentiæ fructus acquiritur, & \*cōmunionis restitutio perficitur.* Itē de fabrica cuiuslibet Ecclesie, si dirupta fuerit, instauranda. & si in eo cōsecrationis solemnitas debeat iterari, in quo sanctuaria nō fuerint, nihil iudicauimus officere, si super eā minimè aqua exorcizata iactetur, quæ cōsecrationē cuiuslibet Ecclesie, in qua Sp. S. ara nō ponitur \* celebrationē tantū scimus eē Missarū: & idē, si qua sactorū basilica à fūdamentis etiā fuerit innouata sine aliqua dubitatione, cū in ea Missarū



*lemnitas fuerit celebrata totius sanctificatio consecrationis implebitur. Si vero sanctuaria, qua habebat, ablata sint, rursus eorum repositione, & Missarum sollempnitate reuerentiam sanctificationis accipiet. I T E M. Ordine quoq; precum in celebratione Missarum nullo nos tempore nulla festiuitate habere diuersum, sed semper eodem tenore oblata DEO munera consecrare. I T E M, si quis non baptizauerit in nomine patris, & filii, & spiritus sancti, proiciatur extra Ecclesiam.*

## LXII.

A. D. LV.

## PELAGIVS.

**P**ELAGIVS, natione Romanus, ex patre Ioanne Vicario, sedit annos II. menses 10. dies 19. Hic, dum non essent Episcopi, qui eum deberent ordinare, ordinatus est à Ioanne Perusino, & à Bono Furentino, Episcopis, & ab Andrea Ostiensi presbytero. Ab huius autem communionemulti ex utroq; ordine religiosi viri se subtraxerunt: imponentes ei, quod in morte Vigilii tantis pœnis afflicti se immiscuit. Vnde Pelagius accepto libro Euangeliorum, & assumpta cruce, clero & populo in Ecclesia B. Petri congregatis, iuramento de prædicto crimine satisfecit, & omnium Romanorum assertione firmavit, vt nullus clericus precio quolibet aut promissione ad sacros ordines prouheretur.

\* *vigilio.*

Hic \*Virgilio Episcopo direxit epistolam, in qua eum plener docet, & prudenter instruit, qualiter respondere & conuincere debeat hæreticos illos, qui gariunt patrem & filium vnum Deum esse non posse. Hic ordinauit Episcopos 49. presbyteros 26. diaconos 9. Obiit autem 6. nonas Martias.

## LXIII.

A. DLIX.

## IOANNES. III.

**I**OANNES, natione Romanus, ex patre Anastasio, sedit annos 12. menses II. dies 26. Hic amauit, & restituit cimiteria Sanctorum Martyrum, & constituit oblationes & luminaria ibidem per singulas Dominicas de Lateranis ministrari. Huius temporibus Narses à Romanis apud Iustinianum & Sophiam Augustam accusatus Longobardos ad occupandam & possidendam Italiam vocauit: qui non multo tempore post Romæ defunctus est. Hic vniuersis Germaniæ & Galliæ Episcopis epistolam decretalem transmissit, in qua euidentissima ratione & firmissima multorum auctoritate com-